



Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico
Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

25. Alia Epistola Episcopi Alectensis ad S. D. N. Innocentium Papam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

282 Dissert. I. § VIII. Documenta ex Gallico
que Constitutiones 5. Martij & 17. Octobris anno 1676. datas
executioni interim dandas esse, donec à sua Sanctitate &
Sacra Apostolica Sede aliter disponatur.

Documentum XXV.

Tertia epistola Illustrissimi & Reverendissimi
Episcopi Alectensis ad INNOCENTIUM XI.
Summum Pontificem.

IN hac confectæ ætatis & affectionis paralyticæ sinistram
corporis partem occupantis invalescente ægritudine, ar-
ctissimam meam cum Apostolica Sede communionem,
& singularem erga Pontificatum Sanctitatis Vestrae rever-
entiam & devotionem hoc monumento testatam volui:
simil & extrema Ecclesiæ mihi commissæ amoris officia
exhibere satagens, ad authoritatem & tutelam Vestram,
quâ maximè modò indiget, configio. Nativam illius &
perpetuam à Regaliæ jure immunitatem, quæ illi cum to-
ta Provincia Ecclesiastica Narbonensi, & alijs quibusdam
communis est, juxta Concilij generalis Lugdunensis
Constitutionem pro parte mea hucusque tuatus sum. Ac
eam novo & insolito Regaliæ juri post discessum meum
jam instantem penitus subjectum iri prospicio, nisi inter-
cessione summa Vestrae Authoritatis apud Christianissi-
mum Regem ab ejusmodi jugo vindicetur. Quare hoc
unum restat, Beatissime Pater, ut ipsam in eadem libertate
& immunitate, cum qua quadraginta abhinc annis eam fu-
scepi, Beatitudini Vestrae custodiendam commendem. Et
& aliud grave mihi, Beatissime Pater, quippe quod me
cum Apostolica Sede communioni umbram aliquam of-
fundere

in Latinum translata.

283

fundere videatur, censura scilicet à Romanis Inquisitoribus Rituali libro, quia me ad usum nostrae Dioecesis editus est, inusta. Libri illius à plurimis licet fratribus Coepiscopis solemnij approbatione laudati novum examen subire non detrecto: imò peropto, si modo Sanctitas Vestra per se pro Sua benignitate oculos & animum advertere dignata fuerit. Quidquid in eo emendandum pro Sua sapientia duxerit, hoc pro reverentia mea emendandum duco. At pristinum Inquisitorum judicium, acerbū nimis & injuriosum eō magis deprecor, quō pleraque Ethicæ Christianæ dogmata, tanquam sub Generali Rituali nostri censura damnata, à viris illusoribus, qui supra populum, juxta Prophetam, dominantur, passim traduci doleo. Hanc labem à me, hanc à sanctissimis dogmatibus fraudem & calumniam ut amoliatur Sanctitas Vestra, ultimum obsecro & supplico. Itaque votorum tum hujus, tum superioris Epistolæ summā in sinu Sanctitatis Vestrae repositā, mortem expecto. Apostolicā Vestra benedictione jam mihi concessā munitus, & necessario maximè precum Vestrum præsidio apud summum Judicem adjuvandus.

Alecti die 25. Octobris Anno 1677.

BEATISSIME PATER,
Sanctitatis Vestrae

Humillimus & obsequientissimus Filius
& Servus

Nicolaus Episcopus Alectensis.

N n 2:

Docu-